

that the importance of these fifteen papers should be seen. In the end, one can only state that this collection of papers is not merely valuable to those who seek deeper understanding of the actual diplomas themselves, but also to those who are interested in larger issues of Roman society.

Kai Juntunen

Corpus inscriptionum Latinarum. Consilio et auctoritate Academiae Scientiarum Berolinensis et Brandenburgensis editum. Vol. II²: Inscriptiones Hispaniae Latinae. Pars XIV: Conventus Tarragonensis. Fasc. 2: Colonia Iulia Urbs Triumphalis Tarraco. Edidit GÉZA ALFÖLDY. Walter de Gruyter, Berlin – New York 2010. ISBN 978-3-11-026403-6. CXXVII, 304 (pp. 169–472) pp. EUR 199.95, USD 300.

Hic corporis vol. II partis XIV (dedicatae titulis conventus Tarragonensis) fasciculus secundus continet titulos Tarragonenses (fasciculus primus, editus a. 1995, titulos eiusdem conventus partis meridionalis continet), sed non omnes, ut quidam sine dubio existimabunt propterea, quod in frontispicio legimus "Fasciculus secundus. Colonia Iulia Urbis Triumphalis Tarraco", cum tituli sepulcrales praeter eos, qui pertinent ad homines ordinum paulo superiorum, et indices in hoc fasciculo non reperiantur et hic fasciculus solum titulos nn. 815–1199 contineat. Tituli tamen fasciculi eius, qui hunc sequetur, et qui mox ut spero edetur, quamquam editorem titulorum Tarragonensium G. Alföldy Athenis nuper mortuum esse valde dolemus (sub <http://cil.bbaw.de/> legimus enim "Zur Zeit bereitet das CIL zwei weitere Bände Géza Alföldys zum Druck vor, die seine Neuedition der Inschriften Tarracos abschließen werden — postum"), hic et illic in hoc fasciculo laudantur (e.g. n. 2341 p. CI).

Idem Alföldy iam a. 1975 ediderat titulos Tarragonenses in libro qui inscribitur *Die römischen Inschriften von Tarraco (RIT)*. At post a. 1975 reperti sunt tituli novi multi, et tituli quidam Tarragonenses melius explicati sunt, saepissime ab ipso Alföldy; ita facile intellegitur, cur Alföldy titulos Tarragonenses denuo edendos esse sibi persuaserit. Titulos, qui in *RIT* non inveniuntur sed qui in ephemeridibus vel in libris quibusdam post a. 1975 editi sunt, observavi praeter fragmenta quaedam hos, nn. 828a, 836, 838a, 841, 860, 893, 944a (titulus imp. Constantis), 982, 1017, 1023, 1065 (fragmentum a), 1068, 1075, 1078a, 1152; notandum est titulos quosdam non esse receptos in *Année épigraphique* (e.g. nn. 860, 893, 1017 editus a. 1995, qui est titulus M. Fulvi Grati honoribus Tarracone functi et tribuni militum legionis XI Claudioe, 1152). Titulos omnino novos observavi nn. 946, 992a (titulus L. Rutili Pudentis Crispini hominis ordinis senatorii, cuius praenomen adhuc ignorabatur; in v. 2 legendum est *pr[aef]ecto*, non *pr[aef]ectus*), cum et nomina et honores alii enuntientur casu dativo, non nominativo), 1000, 1001, 1025. Tituli melius lecti vel intellecti sunt n. 974 (titulus Caniniae Gallae), 977 (*RIT* 362, quem titulum iam appareat esse positum in honorem Cn. Domiti Calvini), 989 (*RIT* 143, in quo titulo posito sub imp. Pertinace iam legitur *cos. II post patre patriae*). Etiam hoc notandum est, Alföldy se ipsum saepius corrigerere (e.g. nn. 837 – "aliter ALFÖLDY 1978a ... minus recte" –, 908, 910, 929, 966, 1019, 1070, 1077, 1110, 1120, 1163, in adnotationibus).

Fasciculus hic praeter Praefationem continet Conspectum auctorum operumque laudatorum (ubi non inveni "FRANCE 2001", quod opus laudatur ad n. 1108) et capita haec: De in-

vestigatione titulorum Tarragonensium; De historia et topographia Tarragonis; De typologia et chronologia monumentorum inscriptorum Tarragonensium (notabile est quod dicitur p. CVI, bases statuarum post Severos plerumque esse "monumenta antiquiora ... denuo inscripta"); Titulos Graecos (de quibus v. etiam eundem Alföldy in *ZPE* 178 [2011] 87sq.); Titulos falsos et posterioris aevi; Titulum alienum (p. CXXII n. 14, A 1, qui est titulus originis fortasse Aquitanicae, quem posuit Annosius Ceserian[us] quidam *Deo Idiat(te)*); Miliaria; Titulos externos ad Tarragonem spectantes (nescio an debuerit addi titulus Aeclanensis *CIL* IX 1125 = *ILS* 1335, quem Magio Maximo praefecto Aegypti posuerunt *Tarragonenses*).

In opere optimo et qui studiosis aliis pro exemplo esse debet errores inveni paucissimos; p. XCV, pro "Cn. Lucretius L. f. Scap. Seleucus" legendum est "Cn. Lucretius L. f. Scap.", cum *Seleucus* cognomen sit non ipsius Lucreti, sed liberti eiusdem; n. 865, in fine legendum verisimiliter est "saec. I a. C. n. priori" (non "p. C."); 975, in fine lege "C. (non P.) Fulvio Plautiano". – N. 989: *intentio mea, qua [sum adi]tus proxime Germanice verti posse "mein Ansinnen, mit dem ich zuvor vorging" non putaverim; praeses enim non aditur quidquam sed aditur ipse a aliis.* Novium Rufum hoc fere voluisse dicere crediderim, se esse aditum ab utraque parte de intentione (fortasse idem fere ac *sententia*) sua; ita nescio an legendum sit <*de*> *qua [sum adi]tus* (*Mommsenum* puto eodem fere modo cogitavisse de hac re, cum scripsit *qua<m> [sum adi]tus*; quamquam *adire aliquem aliquid* non ita eleganter mihi videtur esse dictum). – N. 1169 "cf. ad titulum n. 14, 845": numerus hic corrigendus esse videtur; n. 1181: M. Ulpius C. (non: M.) f. Quir. Reburrus; n. 1183 "Cognomen Verrini ex *Verres* derivatum": mihi autem *Verrinus* ductum esse videtur a nomine *Verrii*, ut *Antoninus* ex *Antonio*.

Opus totum scriptum est lingua Latina satis eleganti, quae ab omnibus lectoribus bene intellegetur. Hic et illic observavi tamen quaedam, quae minus Latine mihi dicta esse videbantur; e.g. p. XCIX "concilio ... liberti ... servitia praestitebant" pro "praestabant"; p. C, "in aestate imperii labentis" pro "aestate"; n. 945, "longe discussum est"; n. 984, "nisi quod ... spectent" pro "nisi si ... spectant"; n. 991, "certum (pro: certus) sum"; n. 1013, "vir titulo Matritensi laudato (pro: laudatus)"; n. 1068 (et 1079 etc.), "servitium militare" pro "Militärdienst" (cf. supra "servitia praestitebant"); *servitium* enim pertinet ad servos et servitutem.

Haec omnia autem minimi sunt momenti, cum in omnibus pateat agi (ut supra iam dixi) de opere in universum optimo et doctissimo et omnibus antiquitatis studiosis utilissimo, quod honori erit non scriptori tantum verum etiam ipsi *Corpori Inscriptionum Latinarum*.

Olli Salomies

GIANFRANCO PACI: *Ricerche di storia e di epigrafia romana delle Marche*. Tored, Tivoli (Roma) 2008. ISBN 978-88-88617-19-0. 752 pp. EUR 150.

Con questo volume, in cui vengono ripubblicati vari contributi dell'autore (tra essi si trova anche un saggio inedito), l'instancabile collega ed amico maceratese Gianfranco Paci ha reso un grande servizio agli studi romani. Il valore del volume aumenta per il fatto che molti dei contributi sono difficilmente reperibili in normali biblioteche antichistiche; ciò vale particolarmente per quelle al di fuori dell'Italia. Apprendiamo molte cose sull'epigrafia di centri come Potentia, Cupra Maritima, Ricina, Urbs Salvia, Asculum ed altri. Le edizioni dei testi epigrafici sono corredate da buone fotografie e commenti dettagliati, qualche volta anche eccessivamente;